

cos fieri non debent. *Cap.: cum decorum 12. de vita et honestate Clericorum; Con. Toletan. 22. cap. 19.*

Nec in Ecclesiis fieri possunt repraesentationes seu comoediae, quaecumque illae sint, personae, vel sacrae, et permittentes puniendi sunt. Sic expresse cit. Conc. Tolet. 22. c. 19. et concordat cit. cap.: *Cum decorum.* Et tenent *Marian.* de spe. cul. c. 7; *Zerola* in prax. episc. part. 1. verb.: *repraesentationes*; et alii citati et secuti ab *Ursaya* instit. criminal. lib. 3. tit. 5. n. 29., *Nicolius* Lucubrat. canonic. lib. 3. tit. 1. nu. 27., *Monacell.* tom. 4. supplem. ad tom. 2. n. 207. et alii passim.

S. THECLA.

Urbis.

Officium S. Theclae virginis et martyris cum octava ad instantiam et supplicationem monialium s. Spiritus in Saxia de urbe ordinis s. Augustini, quarum ecclesia eidem s. Theclae dedicata est, de mandato Sacrae Rituum Congregationis diligenter revisum et emendatum, ac etiam ab Illimo et Rmo D. Cardinali Baronio subscriptum, eadem Sacra Rituum Congregatio approbavit, et ut libere et licite a praedictis monialibus s. Spiritus in Saxia et in earum supradicta ecclesia recitari possit, licentiam concessit, ac etiam pro majori dictarum monialium commoditate, ut imprimi valeat, facultatem dedit. Die 11. Decembris 1604.

(Anal. I. P. 1863 p. 40 n. 146.)

S. THERESIA.

1) Dies festi.

Poloniae.

Stante instantia amborum procuratorum generalium ordinis Carmelitar-

um calceatorum scilicet et discalceatorum transferendi festum s. Theresiae cum officio et missis per regulares ordinis Carmelitarum in omnibus regnis Poloniae in diem 16. Octobris, attempto quod in die 16. eiusdem mensis praescripto a sede apostolica praedictis regularibus concurret etiam festum s. Edvigis reginae patronae regnorum Poloniae. Et Sacra Congregatio attentis narratis concessit. Die 21. Augusti 1632.

(Anal. I. P. 1863 p. 245.)

2) Officium.

Lectiones I. n. in officio s. Theresiae recitandas esse de communi Virginum. n. 2419 ad 2 die 13. Aug. 1667. In festo s. Theresiae II. 1. n. sunt de script. occurrente. n. 4119 ad 12. die 2. sept. 1741.

Ad dubium Capituli Cathedr. Carthag. in Hispania: an in officio transverberationis s. Theresiae debeat ad matutinum recitari hymnus: *Haec dies, qua candidae etc.* vel potius de communi virginum? S. C. resp.: Debere recitari hymnos proprios, qui recitantur in festo s. Theresiae, sed loco: *Haec est dies, qua etc.*, dicatur in festo transverberationis: *Felix dies, qua candidae etc.* n. 4080 ad 3 die 29. Nov. 1738. (Vd.: *Calendar. Congreg. ss. Redempt.* decr. n. 4581 ad 8.)

Gregorius P.P. XV.

Hodie in ss. Principis Apostolorum Basilica nostrorum S. R. C. Cardinalium, Patriarch. etc. praesentium consilio et unanimi consensu Theresiam V. tam fratrum quam Monialium Carmelitarum discalc. fundatricem Sanctam esse definivimus ac ss. virginum catalogo adscribendam decrevimus illamque universos christifideles tamquam vere Sanctam honorare et venerari mandavimus statuentes, ut ab univer-

sali ecclesia in ejusdem hon. Ecclesiae et altaria aedificari et consecrari et singulis annis die 5. Oct. ejus off. de s. v. ad praescriptum rom. breviarii recitari possit.

Datum Romae 12. Mart. 1621.

Ordinis Carmelitarum discalceatorum.

Supplicante humiliter s. Rituum Congregationi P. Josepho a SSmo Sacramento ordinis Carmelitarum discalceatorum et procuratore generali congregationis Hispaniarum pro concessionem officii proprii infra octavam s. Theresiae virginis pro religiosis utriusque sexus ejusdem ordinis, s. eadem Rituum Congregatio, referente Emmo Colbreto, concessionem petitam quoad lectiones octavarum tantum benigne indulsit, et in reliquis ad Emum ponentem ad mentem rescribendum censuit. Die 9. Junii 1696.

(Anal. J. P. 1865. p. 1361 n. 2599.)

Belgica.

Proposito in s. Rituum Congregatione dubio, an officium s. Theresiae virginis recitandum sit cum lectionibus primi nocturni de Communi virginum ob omnibus Christifidelibus, prout dicitur in approbatione dicti officii facta per s. M. Urbanum VIII., et prout recitatur a patribus Carmelitis discalceatis, qui illius festum celebrant sub ritu duplici, vel potius de scriptura currenti, ex quo ab aliis dictum festum celebratur sub ritu semiduplici ex indulto ejusdem Urbani VIII.?

S. C. resp.: Ad formam concessionis Urbani, scilicet, de communi virginum.

(Anal. J. P. 1865 p. 1145 n. 1799.)

Pius PP. VII.

Cum sicut dilectae in Christo filiae abbatisae seu priorissae et moniales excalceatae ordinis eremitarum sancti

Augustini monasteriorum oppidi vulgo dicti Denia civitatis nuncupatae et villarum de Benegamin Cleria et Xaxea Valentinae dioecesis nobis nuper exponi fecerunt, ipsae pro eo, quem erga sanctam Theresiam virginem praeseferunt affectum, ejusdem cultum et venerationem augeri sumopere desiderent, nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignemur.

Nos igitur dictas exponentes specialibus gratis et favoribus prosequi volentes, supplicationibus earum nomine nobis humiliter porrectis inclinati, ut in posterum praedictorum monasteriorum pro tempore existentes moniales in antiqua consuetudine recitandi quotannis tam in die festo ejusdem sanctae Theresiae et per ejus octavam, quam in alio festo transverberationis cordis ejusdem sanctae officia propria jam approbata pro ordine Carmelitarum excalceatorum manere; ac sacerdotes in iisdem diebus ad dictarum monialium ecclesias convenientes sacrum facturi missas praedictas officii conformes celebrare possent auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus et indulgemus.

Datum Romae die 3. Martii 1801.

(Bull. r. Contin. t. XI. p. 105.)

3) Off. votivum.

Hispaniarum.

Sacra Rituum Congregatio ad preces fratris Joannis a conceptione procuratoris generalis Carmelitarum discalceatorum Congregationis Hispaniarum benigne indulsit omnibus ex dicta congregatione ut recitare possint officium de eorum sancta matre et fundatrice Theresia de Jesu sub ritu semiduplici, prout in breviario romano continetur, prima die

non impedita cujuslibet mensis. Haec die 19. Septembris 1665.

(Anal. J. P. 1865 p. 1140 n. 1791.)

4) Ritus dupl.

Urbis et Orbis.

Officium s. Theresiae Virginis ordinis Carmelitarum nuper breviario romano ex praecepto recitandum sub ritu semiduplici idibus Octobris appositum, SSmus D. N. piis catholicorum fere omnium principum votis annuendo, ex sententia Congregationis Sacrorum Rituum, imposterum sub ritu duplici in eodem breviario imprimi ab omnibus Christifidelibus tum saecularibus tum regularibus utriusque sexus qui ad horas canonicas tenentur in tota ecclesia recitari praecepit. Die 21. Julii 1668.

(Anal. J. P. 1865 p. 1154 n. 1838.)

THESAURARIUS.

Licentia aperiendi et ostendendi devotissimis concurrentibus s. corpus s. Nicolai et thesaurum Ecclesiae Colleg. civitatis Baren. et distributio s. liquoris, *Manna* nuncupati, private spectat ad ipsum thesaurarium. n. 3708 ad 3 et 4 die 23. Decb. 1704.

Puteolana.

Ad redintegrandam erectionem Thesauriatus et Archiacolytatus legitime factam anno 1477 a Pirro Azzia ea tempestate Episcopo Puteolano, quae Dignitates, ignoratur qua ratione, aboletae fuerint, Antonius Horatius Frautus et Bernardinus Constantius dotem obtulerunt ducatorum 12. monetarum regni Neapolitanis pro qualibet earum reservato sibi ipsis jure nominandi prima vice tantum, adjectoque onere futuris earundem dignitatum possessoribus praestandi tum nominatoribus tum eorundem haeredibus facem ceream dimidiae librae. Re ad

Episcopum delata visum est Capituli censuram exquirere, quo negato optimum esse putarunt duo fundatores sacratissimum principem nostrum libello adire, a quo negotii cognitio data fuit amplissimis patribus. Audito nunc itaque Episcopo postulat Capitulum causam contra Frautum definire, Constantio enim sententiam suam mutare placuit et Frautus contra dotem Thesauriatus auxit ad ducatos quindecim, ejusque exemplo Episcopus e juribus funerum, quae ad eum pertinent, separavit obolos quinque, quos eidem dignitati erigendae adsignavit. Hinc una tantum disputatio est de erectione Thesauriatus, quam Capitulum his potissimum rationibus impugnat:

Prima est tenuem nimis esse dotis quantitatem, quae summam efficit annuorum ducatorum undeviginti, qui impares omnino sunt oneribus a Thesaurario ferendis, cum in civitate Puteolis Neapoli proxima melioribus vestibus incedere debeant canonici, qui insigniis Cappae magnae et Rochetti utuntur, facultate habita anno 1702. ab amplissimo S. R. C. Cardinali Barberino, dum ad Serenissimum Regem Philippum V. sanctae sedis Apostolicae Legati a Latere munus obiret. Accedit Frauti Patrimonium aere alieno pressum esse, ut difficile futurum sit summam ducatorum 15 educi ex eo libere posse; ne igitur dignitatis erectio in dedecus, non in augmentum cedat divini cultus, optimum esse eam non probare, etsi in eadem Ecclesia aliae sint dignitates, quae congrua dote carent, cum nunc agatur non de erecta, sed de erigenda dignitate, ideoque non exemplis, sed recta juris censura res judicari debeat. Altera ratio est Canonicos aliosque Ecclesiae ministros plurimos esse, qui choro intersunt sacrisque solemnibus praesto sunt in Cathedrali

THIARA.

(Catalanus, caerem. Ecclesiae rom. l. II. p. 401 et l. I. p. 118, ubi sunt etiam notae historicae.)

Per Thiaram triplici coronam ornata, quod Regnum appellatur, significatur sacerdotalis et imperialis summa dignitas atque potestas. Hac Thiara utitur pontifex in maximis solemnitatibus, eundo ad Ecclesiam et redeundo, sed nunquam illa utitur in divinis. Cum pervenit ante Altare, deponit Thiaram, orat et assumpta mitra vadit ad sedem et cum ista prosequitur divinum Officium sive in vespere sive in missa. Thiara autem interim reponitur super Altare. Finito officio, cum Papa revertitur ad palatium, rursus ei imponitur Thiara et cum hac coronatur in die suae benedictionis et coronationis. Antiquitus, quando Romanus Pontifex diebus solemnibus Thiaram hanc ferebat, fiebant ei laudes a diaconis et officialibus, ut in Coronatione: *Exaudi Christe etc.* et pontifex dabat presbyterium. Hodie utrumque abolitum est. *Dies autem, quibus Papa coronabatur, erant infrascripti, videlicet, in festo sanctorum quatuor coronatorum, s. Martini, s. Clementis, in dominica: Gaudete, in dominica: Laetare, in natiuitate domini, in festo s. Stephani, in Epiphania, in resurrectione et secunda feria, in dominica: Ego sum pastor bonus, in ascensione, in pentecoste, in festo sancti Petri et sancti Silvestri et in anniversario suae coronationis.*

De coronatione Papae super gradus Ecclesiae.

Sacris missarum solemnibus rite peractis proceditur ad coronationem. Pontifex reassumtis chirotecis et anulis cum omnibus paramentis suis, in quibus celebraverat, et cum cardinalibus, praelatis et officialibus omnibus, ut in missis paratis, procedit ad suggestum

Ecclesia et vigesimum octavum numerum implent, ut aliorum opera non sit necessaria.

Praeterea ex hac erectione alias oriri quaestiones, quae Chori servitium et praecedentiam respiciunt, de quibus nunc etiam agitur aliis duobus capitibus. Contendit enim Capitulum teneri Thesaurarium quotidie interesse quod cum custodis officium exercoat, perpetuam praestare debeat praesentiam, nulla contraria lege aut consuetudine obstante, idque etiamsi nullos e quotidianis distributionibus fructus accipiat, ut prae aliis monent *Fagnan.* in cap. *cum omnes* n. 25. et 26. de Constitut. et in cap. *licet nobis* num. 39. et 40. de praebend; et *Argir.* Discept. Eccles. vol. 2. lib. 6. discept. 21. num. 13. Ultimum quoque post Canonicos locum Thesaurario assignandum esse Capitulum contendit, quod posterior sit ejusdem dignitatis institutio, et improprie dignitas vocetur, cum vere officii nomen sit, et consequenter exemplo Cantoratus, quae dignitas quoque improprie appellatur, cujusque sedes est post omnes Ecclesiae Cathedralis Canonicos; ultimus locus novo Thesaurario dari debeat.

Haec habet Capitulum: quid contra ferat Frautus ignoramus, nondum enim iura sua libello complexus est: dubia vero, quae proponuntur; haec sunt:

An sit locus erectioni dignitatis Thesauriatus? Et quatenus affirmative,

II. An teneatur praestare servitium quotidianum vel potius in diebus solemnioribus et Dominicis ac Festis de praecepto?

III. An idem Thesaurarius indutus habitu choralis debeat sedere in Choro ante omnes Canonicos vel potius post omnes de Capitulo in casu?

S. C. resp. ad I.: Negative;

Ad II. et III.: Provisum in I.

Die 4. et 18. Decb. 1745.

super gradus Basilicae Apostolorum principis ex materia constructum et ornatum, ibique in sede eminenti sibi parata sedet, et cum omnes praelati convenerint et populus ex Basilica in plateam exierit, diaconus a sinistris deponit mitram consuetam e capite pontificis et diaconus a dextris Thiam, quod *regnum* appellant et triplici corona ornatum, pontificis capiti imponit populo acclamante: *Kyrie eleison* et diaconus a dextris latine, a sinistris vero vulgariter publicant plenarias indulgentias. Tum paratur processio ad Lateranum, sed quoniam plerumque, antequam haec completa sint, hora est satis tarda et longa ad Lateranum restat via multaque ibi adhuc sunt peragenda, consueverunt aliquando pontifices et patres sustentationis gratia aliquantulum cibi summere. Paratur refectio in Atrio - Domus Archiepresbyteri Basilicae pro pontifice et cardinalibus; pro aliis praelatis in vicinis domibus canonicorum. Coronato pontifice veniunt ad refectionem et interim parentur, quae ad processionem sunt opportuna.

S. THOMAS APOSTOLUS.

1) Translatio.

Ad dub.: an translato festo s. Thomae ap., sicut contingit, quoties occurrit in dominica, si forte non supersit dies libera ad ejus repositionem, possit reponi in altera die festo semid. aut etiam dupl. occurrente simplici? S. C. resp.: Affirmative et detur gen. decr. N. 4491 ad 2 die 12. Mart. 1804.

Vd.: *S. Andreas ap.* (decr. num. 4500); *Officium* (transl. in seq. etc. decr. n. 4492 et de die 31. Maii 1817.

In Calendario Canonicorum Regularium s. Crucis Conimbricen. nullus in mense extat dies, qui officio no-

vem lectionum non sit impeditus. Quomodo ergo praefata Congregatio se gerere debet quando ss. Andreae vel Thomae Apostolorum festum cum dominica privilegiata occurrit?

Et S. eadem C. respondendum censuit, ut infra, videlicet:

„Jam decisum in Decreto generali diei 12. Martii 1804.“

N. 4537 ad 3. Die 31. Maii 1817.

NOTA GARDELL. AD HOC DECRETUM.

Casus, de quo in hoc dubio idem ille est, qui occasionem dedit saepe laudato decreto anni 1804, quippe quia cum festa ss. *Apostolorum Andreae et Thomae* sub anni finem celebrentur et aliquando occurrunt in *dominica 1. et 4. Adventus*, quarum prima rejicit festa cujuscumque ritus, altera non alia admittit, praeter illa, quae sunt 1. cl.; facile est, ut nulla supersit dies vacua pro eorundem repositione; sed haud decere videtur, ut festa II. cl., quae, ut plurimum adnexum habent praeceptum audiendi Sacrum et abstinendi a servilibus, redigantur ad ritum simpl. cum sola commem. et 9. lectione historica: consulto idcirco S. R. C. sancivit, ut reponi possent in diem, licet impeditam festo rit. semidupl. vel etiam dupl. generale Decretum extendens ad omnia festa ejusdem ritus.

2) Vigilia.

Occurrente festo novem lectionum in Vigilia s. Thomae ap. *officium* recitari debere de Sancto duplici cum commemoratione Adventus et nihil de Vigilia. In Missa vero de Sancto cum commemoratione de Feria et Vigilia cum ultimo Evangelio de Vigilia. N. 2180 die 5. Augusti 1662.

Quae in Missa vigil. mutanda sunt, vd.: *Missale* (Correctio II. D. n. 16.)

S. THOMAS DE AQUINO.

1) Festum in Orbe.

Quod festum sancti Thomae de Aquino uti festum de praecepto sanctae romanae Ecclesiae doctorum de cetero celebretur.

Pius V. servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Mirabilis Deus in sanctis suis, qui se daturum illos in laudem et gloriam et honorem, prophetae ore, promisit, ut quos, sicut sol in conspectu suo fulgentes, ob merita sanctitatis coronat de coelo, admirabiliter etiam honoraret in saeculo, et in eo, quod illis tribui jubet, laudis et venerationis officio, debitum quoque Majestati suae honorem et gloriam agnosceret. Quorum non modo vitam sed mortem, sepulchra, monumenta, reliquias et imagines, ad catholicae fidei confirmationem et ad confusionem haereticae pravitatis, ut feliciter etiam quam in praesenti vita, doceret vivere, mortuos, qui in Domino moriuntur, saepissime dignatus est decorare et illustrare miraculis.

§. 1. Ex quo sanctorum laudabili numero, qui catholicam veritatem corde, opere et ore roborarunt, angelici doctoris sancti Thomae de Aquino, Ordinis fratrum praedicatorum, in coelum assumptio, multis ante annis, orbi terrarum et divinis et propriis est comprobata testimoniis. Nam et miraculorum signis, quibus servi sui Thomae perpetua verae pietatis opera nobilitare voluit inexhausta Dei benignitas et certissima christianae regula doctrinae, qua sanctus doctor apostolicam Ecclesiam, infinitis confutatis haeresibus, illustravit, adductus, felicitis recordationis Joannes XXII., praedecessor noster, illo in sanctorum numero relato, ejus diem festis Nonis

Martii, quo die etiam colitur, anniversario honore celebrare jussit.

§. 2. Sed quoniam omnipotentis Dei providentia factum est ut angelici doctoris vi et veritate doctrinae, ex eo tempore, quo coelestibus civibus adscriptus fuit, multae deinceps exortae sunt haereses confusae et conviciae dissiparentur, quod et antea saepe et liquido nuper in sacris Tridentini Concilii decretis apparuit, ejusdem memoriam, cujus meritis orbis terrarum a pestiferis quotidie erroribus liberatur, majore etiam quam antea grati et pii animi affectu colendam statuimus. Quod officium nostrum praeter beneficia ex illius salutari disciplina, in dies magis profecta, in sacrosanctae Ecclesiae filios, ad quorum pastorem paternamque curam Dei benignitati humilitatem nostram placuit evocare, postulat etiam aliqua ex parte ejusdem Praedicatorum communio et societas, unde, licet imparibus meritis, nos etiam tamquam ex fonte profluximus.

§. 3. Itaque primum, ut in civitate et regno *Neapolitano*, quod in eam provinciam, quae, ad salutarem omnium gentium institutionem, ex nobilissima familia Aquinate, clarissimum hoc edidit Ecclesiae Dei lumen, tantum inde laudis decorisque divina bonitas redundare voluerit, de venerabilium fratrum nostrorum s. Romanae Ecclesiae Cardinalium consilio atque unanimi assensu, ipsa die nonarum Martii, qua praestantissimus doctor migravit in coelum, posthac semper universi utriusque sexus, ab omnibus vetitis ac servilibus operibus laboribusque abstinentes, festum divi Thomae solemniter sub duplici majori officio, sicut caeteras ejus generis solemnes festivitates, quae de ipsius Ecclesiae praecepto servantur, in aliis autem orbis terrae partibus, quemadmodum sanc-

torum quatuor Ecclesiae doctorum festiuitates, pie memorie Bonifacii Papae VIII., etiam praedecessoris nostri, praeepto, celebrantur, sic eundem festum diem sancti Thomae in perpetuum posthac omnes item utriusque sexus christifideles celebrent et venerentur, apostolica auctoritate statuimus ac sancimus.

§. 4. Ut vero etiam sancti doctoris majori studio ac pietate cultus et veneratio adhibeatur, de omnipotentis Dei ac beatorum apostolorum Petri et Pauli auctoritate confisi, omnibus utriusque christifidelibus vere poenitentibus et confessis, qui in ipso sancti Thomae festiuitatis die sacellum vel altare in Ecclesia sancti Dominici Neapolitani situm, in quo scriptoris angelici doctrina Salvatoris crucifixi ore (sicuti pia testatur historia) mirabiliter probata fuit, a primis eius diei vespertis usque ad occasum solis, devote visitaverint, septem annos et totidem quadragenas,

§. 5. In caeteris autem orbis terrae partibus iis, qui eundem festum diem, ut praefertur, solemniter celebraverint et ad ecclesiam, quae apud eos fuerit, vel sacellum aut altare sub eiusdem sancti Thomae invocatione, pie ac devote accesserint, quoties id fecerint, toties centum dies de injuncta ipsis poenitentia per praesentes literas in perpetuum valituras, quas sub aliis cuiuscumque generis indulgentiarum concessionibus et illarum revocationibus nullo modo comprehendi volumus, misericorditer in Domino relaxamus.

§. 6. Et quia difficile esset has ipsas literas ad singula orbis terrarum loca pervenire, volumus et auctoritate apostolica decernimus ut earum exemplis etc.

§. 7. Nulli ergo etc.

Datum Romae apud sanctum Petrum die 11. Aprilis 1657.

(Bull. r. t. VII. p. 564. Ed. Aug. Taur.)

2) Translationis festum in regno Neapol. Neapolitana.

Petitio ad instantiam Civitatis Neapolitanae nempe quod in die translationis reliquiae beati Thomae de Aquino recitetur officium duplex per civitatem et dioecesim neapolitanam, Congregatio concedi posse censuit et declaravit. Die 21. Augusti 1604.

(Anal. J. P. p. 37. n. 132.)

Neapolitana.

Petitio ad instantiam deputatorum Civitatis Neapolitanae nempe ut in die translationis reliquiae beati Thomae de Aquino ab Ecclesia s. Dominici, ad capellam thesauri Ecclesiae archiepiscopalis per eandem civitatem et dioecesim officium duplex in honorem ipsius Beati, quem in unum ex patronis ipsius civitatis elegerunt, recitetur, Sacra Rituum Congregatio concedi posse et declaravit die 21. Augusti 1604. Et iterum ad instantiam eorumdem deputatorum et ad omne dubium tollendum, eadem Sacra Rituum Congregatio declaravit supradictum decretum esse intelligendum ut singulis annis in die translationis reliquiae supradictae, per civitatem et dioecesim supradictas officium duplex de dicto beato Thoma de Aquino libere et licite recitari possit et valeat, dummodo alio festo duplici vel die dominico non sit impeditum; quo casu in sequentem diem vel alium non impeditum transferendum et recitandum esse censuit et declaravit. Die 11. Septembris 1604.

(Ibid. p. 38. n. 136.)

Neapolitana.

Cum alias Clemens Papa VIII fe-

rec. Neapolitanae Civitati indulserit, ut posset sub ritu et officio duplici solemnizari et celebrari festum translationis s. Thomae de Aquino, quae translatio fuit facta die 20. Januarii et quia eo die cadit etiam festum s. Sebastiani, ne unum ab alio festo duplici impediatur, eadem Civitas Neapolitana Sacra Rituum Congregationi supplicavit pro licentia transferendi dictum festum translationis in diem praecedentem 19. ejusdem mensis Januarii, quo die a dicta Civitate Neapolitana idem s. Thomas in octavum ejusdem civitatis protectorem electus fuit.

Eadem Sacrorum Rituum Congregatio translationem hujusmodi festi posse ut petitur concedi censuit et declaravit. Die 25. Februarii 1606.

(Ibid. p. 53. n. 190.)

S. THOMAS CANTUAR.

1) Lectiones I. n. in casu transl. in sequ. annum.

Occurrente dominica infra octavam Nativitatis D. N. J. C. in die 29. Decembris sive in festo s. Thomae Cantuariensis, hoc ex speciali indulto Gregorii PP. XV. transfertur in Hispania ad diem 5. Januarii anni sequentis: quaeritur ergo utrum in hoc casu lectiones primi nocturni debeant esse in hoc festo de scriptura occurrente sive de vigilia Epiphaniae, prout quidam rubricistae opinantur, an vero quae in illo habentur assignatae de communi unius martyris Pontificis?

Resp.: In recitatione divini officii lectiones primi nocturni semper, quantum fieri potest, legendas esse de scriptura occurrente, patet ex rubr. gener. brev. rom. tit. XXVI. de lectionibus n. 5., quae ideo in officio

de tempore sic per annum eam distributam esse affirmant, ut quotidie aliquid ex ea legatur. Diximus: quantum fieri potest, quia aliquando leguntur lectiones de scriptura quidem sed positae in communi Sanctorum. Illae autem leguntur in festis Sanctorum vel ad majorem solemnitatem et distinctionem; lectiones de scriptura, sic ajunt rubricae generales loc. cit. n. 9., positae in communi Sanctorum, legantur in festis, ubi assignantur in proprio Sanctorum per annum; rursus quando aliquod festum in propria Ecclesia solemniter celebratur vel ad necessitatem: item, quando aliquod festum novem lectionum occurrit in quadragesima et quatuor temporibus, in secunda feria rogationum et in vigilia Ascensionis, in quibus feriis in officio de tempore non assignantur lectiones de scriptura sed de homilia; tunc enim in festis recurrendum est ad lectiones de scriptura positas in communi Sanctorum. Quod perbelle explicat Gavantus ad hanc rubricam sect. V., cap. XII., n. 14.: Quando de scriptura per annum distributa non potest legi in festo novem lectionum in primo nocturno, quia eo die non habetur in breviario, puta quia sunt quatuor tempora, feriae quadragesimae etc. ut in rubrica n. 9., eo casu sumuntur lectiones primi nocturni de communi, quae alioquin ad majorem solemnitatem solent assignari; tunc enim ad necessitatem leguntur.

Cum itaque in breviario romano die 29. Decembris pro festo s. Thomae Cantuariensis assignatae reperiantur lectiones primi nocturni de communi un. mart.: *A Mileto*, solutio dubii pendet ex hoc principio: an scilicet praedictae lectiones e communi habeantur in breviario tamquam invariabiliter propriae illius officii, prout ex gr. in officio s. Clementis P. M.